


**LIVONIAE PROVINCIAE AC EIVS**  
*Confinium Verus et elegans typus Io Portantius Cosmographus Delinea.*



**MOSCOVIAE MAXIMI AMPLISSIMI QVE DVCA TVS**  
*chorographica descriptio*  
*Auctore Antonio Iankinsono Anglo*



## MOSCOVIA.

**M**oschos, Modocos Ptolomæo dictos credunt nonnulli, nomenque hoc recens esse autumant à Moscho amne haud dubie mutatum, qui & regiae urbi, quam interfuit, suum quoque nomen communicavit. Moschouia vastus, & ingens, amplissimusque ducatus est, ac penè innumeros sub se continet ducatus, è quibus quotannis ad bellum egrediuntur armatorum multa millia. Eorum præcipui sunt Tuercza, cuius metropolis est Twerd, ampla ciuitas. Ducatus Chelmisci, Zubsczouski, Kliniski, Ducatus Rubensis, Szachonensis, Rzezensis quoque ducatus, in quo Tanais oritur. Item Ducatus Suldalorum. Est & terra Tartarorum Cozanska, quæ Hordas complectitur, Principi Moschorum subiecta, in campis iuxta castrum Cozan. Sunt autè Hordæ, societates seu cõfæderationes gentis vagæ & bello illustris, quibus pro domibus sunt Carri centonibus corijsque; contenti, abs quo vitæ genere Hamagobios antiquitas eos appellauit. Pro urbibus verò & oppidis immensa castra: non fossis aut materia clausis vtuntur, sed infinita Sagittariorum equitum multitudine vallatis. Hordarum verò propè infinitus est numerus. Moschouia verò urbs regia est, Moscu duplo quàm Praga Bohemiarum maior, in regionis medio sita, vbi fluminum insignis commoditas. Oblongo ædificiorum tractu secundum Motchi fluminis ripam, ad spatium quinque milliariorum extenditur. Domus in vniuersum sunt lignæ, distinctæ in triclinia, coquinas & cubilia, capacitate amplæ, nec structura enormes, aut nimium depressæ. Domus ferè omnes, & ad vsum olerum, & ad voluptatem priuatos habent hortos, vnde urbis raræ, circuitus longè maximus apparet. Castra in ea bina murata, ac templum celebri structura ac amplitudine conspicuo in loco Deiparæ Virgini dicatum. Præter hanc nobiles vrbes sunt Surcium, Voldemaria, & Noouogradia, quam Lithuano principi eripuit. Hæc regio latissimos habet fines, & ab aris Alexandri magni circa Tanais fontes ad extrema terrarum, Borealemque Oceanum sub ipsis ferè Septentrionibus extenditur: campestris magna ex parte, & pabuli quidem ferax, sed æstate pluribus in locis admodum palustris: nam ea omnis terra magnis, frequentibusque annibus irrigatur, qui vbi niuibus hybernis, multo Solis calore colliquatis & resoluta vbique glacie, colliquescunt. Campi passim in paludes abeunt, cunctaque itinera continentibus aquis & cœnosa illuue defædatur, donec nouæ hyemis beneficio resurgentia flumina, ipsaque paludes iterum cogantur, & vias solidissimo constrictas gelu, vel transitoris curribus præbeant. Terra Moschouia in vniuersum, neque vitem, neque oleam, neque paulò suauioris pomi frugiferam arborem, præter melopepones, & cerasa producit, cum teneriora quaque gelidissimis Boreæ flatibus exurantur. Campi tamen tritici, siliginis, milij, panicique & omnis generis leguminum species ferunt: sed certissima mensis in cera, canabe & melle consistit. Regio enim fecundissimis apibus plena est, sicut & cæteræ illi vicinæ regiones & Rursia Rubra, quæ Moschis quoque subiecta est, Podolia olim dicta, & Roxalana, ea agrum vsque adedò

fertilè habet, vt inaratus, relicto in eo femine ternis mensibus, præter culturam aliam, fœnus reddat quotannis ditissimum. Huius metropolis est Leopoldis vulgò Leuvenburg, in qua ad mercatum confluunt ex toto orbe, Christiani, Græci, Iudæi, Armenij, Turcæ. Rursia verò alba quæ Moschouia dicitur, prope Tanaim flu. producit Calamum aromaticum & Rheuponticum. Genti potus est Medo & Cereuisia, vti & reliquis Septentrionalibus. Sunt etiam qui in delitijs habent succum ex subausteris cerasis expressum, qui perspicui & purpurifantis vini colorem, & saporem iucundissimum refert. Fluminibus regio rigatur plurimis, obque id piscibus abundat. In ea enim oriuntur Tanais, Rha vel Volga, Boristhenes vel Dinepr, Moschus, Duna, Scythicus est fluuius, qui Niloticis similibus incrementis quotannis statuto tempore circumiectos inundat agros, pinguique alluue argenti cœli iniurijs mirificè resistit, in mare Balteum degurgitat: est & Occa & Dzuina flu. & innumeri alij. Montes hic nulli visuntur, vnde nugantur, qui Rhiphas Hyperboreosque hoc loco esse aiunt, ex quibus Tanaim & reliquos fingunt prodire fluuios, cum hi ex terra sterili, plana, limosa, paludifera, ac nemorosa confurgant. Hercynia sylua immanibus feris plenissima per Moschouiam perpetuò tractu inter ortum Solis & Boream ad Scythicum Oceanum excurrit, ita vt spes hominum eius finem curiosè scrutantium, infinita magnitudine sua semper eluserit. Nulla auri argentiue, vel ignobilioris metalli, ferro excepto, apud Moschos vena, secturauè reperitur: nullumque est tota regione, vel Gemmarum, vel pretiosi lapilli vestigium. Ea omnia ab externis populis petunt. Vno pelliū nobilissimarum mercimonio hanc naturæ iniuriã resarciunt. Moschouia in Oriente habet Tartariam, à Meridie Getas & Bastarnas cum iisdem Tartaris, ab Occidente Lithuanos & Liuonios, à Septentrione Lappones & Armenios. Incipit ab Occidente sub grad. long. 57. min. 20. vbi est Smolensko, ac extenditur in ortum vsque ad grad. longitud. 80. vbi Alexandri magni aræ sunt, in Parallelo nimirum 18. nã in Septentrionalibus magis in ortum exspatiatur. Verum ibi plus coarctatur Meridiani. A Meridie incipit iuxta Tanais flu. ostia, sub lat. 51. grad. 45. minut. Vbi est Asoph portus, ac in Septentrionem extenditur, ad latid. grad. 70. Vbi est Obæ fluuij ostium. Subiacet itaque à principio climatis noni, quod est per Agrippinam Coloniam, vsque ad principium 17. quod est per mediam Islandiam, ac est Parallellus eius Australis 19. vbi dies artificialis prolixior est horarum 16½. Borealis autem est 35. vbi dies artificialis prolixior duorum mensium continuus. Eius longitudo autem ab occasu in ortum est milliariorum Germanicorum 215. seu Ital. 860. latitudo autem à meridie in Septentrionem, milliarum continet Germanica 273¾. seu Italica 1095.

Verum hoc obiter hic monendum duximus Moschos, non per milliarum vt nos, sed per Verst distantias metiri. Est autem Verst Germanici milliaris quinta pars.

## POLONIAE REGNUM.

**P**olonici nominis originem tradunt (vti in Bohemia quoque monuimus) à planis campis, quos *Pole* ipsi vernacula sua lingua vocant. Dicunt enim ex Croatia populis in Dalmatia duos egressos esse fratres, Qechum & Iechen: quorum hic versus Orientem & Septentrionem tractum tenuerit, vbi planities latiusque campus erat, ex eoque Poloniam terram nominasse. Hi itaque eiectionis Vandalis qui hoc loci olim habitarunt, hunc tractum occuparunt. Erant autem Vandalii Wigewonum populi, à Vandalo, Tuifconis & Manni nepote sic dicti: quem apud Tuifcones imperasse refert Berofus, tempore Altadis duodecimi Babyloniorum regis, à quibus & Vandalus flu. quem Vistulam hodie authores vocant, dictus est: eum enim Vandalii à fontibus ad ostia vsque accoluerunt, ac inter Sarmatas Europeos connumerati fuere. Quanquam hoc controuersum esse dicat Erasmus Stella, qui Peucinos Bastarnasque eadem loca tenuisse refert, his verbis: Erant autem Peucini & Bastarnæ, vt Plinius testatur, contermini Dacis, inquit, sermone, cultu, sede, ac domicilio Germanos referentes, multa tamen fœditate Sarmatarum contacti: nam & connubijs promiscuis utebantur, & proceres eorum pari forde ac plebs torpebant. In dubium Tacitus vertit, Sarmatisne an Germanis ascribantur: Verum hæc loca hodie Poloniae ascribuntur. Plinius tamen ipsos Germanis connumerat. hæc Stella. Hæc in duas partes diuiditur: quarum quæ Saxoniibus Prutenisque vicina est, maior Polonia dicitur, altera Hungariæ ac Russiæ obiecta, minor vocatur. Regnum vniuersum velut in quatuor regiones diuisum, quas in orbem rex quotannis inuisit: singulæ ternis mensibus alunt regem, regiumque comitatum. Complectitur minor Polonia Vandalii seu Vistulæ flu. fontes, ac Cracouiam celebrè & amplissimam urbem, in qua regia est, totiusque regni gaza. Rundissa fluius urbem circumluit, ac aquæ ductibus quoque eandem perluit. Diuiditur autem à nonnullis vrbs Cracouiensis in tres distinctas ciuitates: tres enim curias ac iudiciales conuentus habet. Vna earum Clepars nomen est, ea Cracouiæ adhæret ea parte qua Slesiam respicit, tanquam suburbium aliquod. Ipsa verò Cracouia ad Valuelum montem sita, in cuius summitate regia arx. Vistulæ flu. ex altera parte ponte iungitur ligneo, qui ad Casimiriam urbem ducit. Hæc celebri Academia floret, quam primum quidem Hedwigus & Casimirus reges fundasse, Vadislausus autem anno salutis reparatæ 1400. restaurasse perfecisseque dicuntur. Maior autem Polonia complectitur famosissimas vrbes Guesnam, quam Lechus ædificasse ibidem in planitie dicitur. vnde regioni nomen inditum, & Posonam. Cæteræ ciuitates parum nitidæ sunt: ex maceria domus ferè omnes compositæ, pleræque luto collinitæ. Regionis aer purus, sed frigidus, rigensque ac seueræ hyemes. Plaga autem eius palustris & nemorosa, plana, rarissimisque montibus conspersa. Solum ferax, triticique abundans, nec minus hordei, leguminumque. Verum nec Olearum, nec Vinetorum patiens, ob rigidum vicinum Septentrionem: ideoque etiam genti ignotus omnis Vinearum cultus, ac rarissimus vini vsus, cum bibacissimum hominum genus sit, vt totus Septentrio. Factitia ex tritico aliisque generibus seminum potio est in vsu. Est & pascuis idoneum solum. armenta late pascuntur, vnde lacte, butyro, carne, ac id genus edulij abundans. Mirum autem cur totus hic tractus in Scythiam vsque adeo apibus abundet, vt ceræ mellisque nusquam maior copia sit. Nec artem ibi expectant, nec industria iuari volunt, sibimet aluearia intra roborum excauata latera construunt, adeo vt grauissimas hyemes iuxta facile ferant. Estque hæc terra planè suis prædita floribus, & per æstiuam nullos magis Sol aspicit, quando longissimus est dies, qui animali ad labores nato breuibus vmbri operam interceptit. Vnde hic mellis, ceræque copia tam ingens, vt non satis his Polonis atque Ruthenis loci superfit, quibus illa recondant: arbores namque omnes, & syluæ aluearibus mellificantium nigricant. Venatio præterea Polonis multiplex est, eius enim nemoribus gignitur equus syluestris, cornu ceruino, Bos ferus, Romani vrum vocat, Bisonque. Aucupium ibi largum, piscatioque diues. Picis resinæ ue quotannis ibidem collectæ ingens lucrum. Regio omnis nobilissimis fluminibus rigatur, quorum primū est Vandalus, quem variè hodie Vistulam,

Istulam, Vistulam, Instillam & Instulam; Germanicè *die Weiel* vocant; is in Carpathijs Sarmaticisque montibus ortus, qua in Tazyges & Marcomannos Polonia imminet, in Codanum egreditur, non vno ostio, & amplissimo, antequam Dantiscum attingat alueo. Vbi miræ piscium copia. Post hunc, Septentrionalem quoque oceanum illabitur Chronus flu. quem Pregel nunc vocant accolæ, quem sequitur Nyemien flu. ex paludibus ortus prope Kapiolow. hunc sequitur Rubon flu. in Lithuania ortus. Viadrus quoque quem Oderam nunc dicunt, fontes suos Poloniae debet, quos iuxta Odri nomine Vicum cernere licet. Nec procul ab his Varta flu. fontes visuntur, iuxta Crumlaw urbem. Tyras autem quem Nyester nunc vocant in Premissia ortus, versus Eurum trahitur, ac Ponto Euxino miscetur. Hypanis autem flu. qui Bugh hodie dicitur, ex palude oritur, haud ita procul ab Oleska vrbe: ac Vistulæ non procul à Wyszigrada miscetur. Borysthenes autem cui nunc Nyepero nomen est, ex Viginoso Moschouia deserto prolabens, in Euxinum quoque pontum degurgitat. Præter hos ignobiliores flu. multi allabuntur, Przypietz, Turia, Styrys, Shlucz, Bog, Narew, Wysprz, Pilesa, Wyar, Wislotia, ac complures alij. Montes ferè nulli sunt, præterquam, qua in Meridiem vergit, ac ab Húngaria, Sarmaticis, Carpathijsue montibus, quos Tatri incolæ vocant, dirimitur. Syluis omnis penè regio obducitur, quæ omnes Hercyniæ portiones sunt. Vnde vicinis Germanis fraxinos ingenti copia ministrant. Plumbi metalla, ingenti fodiunt abundantia. Cupri quoque particulæ crebræ apud Premissiam urbem reperiuntur, cui tamen minimè insidiantur. Nec auri minaræ illis defuisse creduntur, si eius venæ inquirantur. Salisfodinæ hic binæ extant, altera Bachniæ vrbe, quatuor à Cracouia milliariis distans, altera Velisci quæ Wielitzham vocant, quinque ab eadè Cracouia milliariibus distante. Eas optimè descripsit Vadianus in commentarijs in Melam. ait autem: raras alibi gentium salinas copia magnitudinè Sarmaticis illis respondere. Velisci vno tantum puteo descenditur: Bochniæ pluribus, sed vno tamè frequentissimè demissis operarijs, ex alijs interim salis micis extractis, & Bochniæ quidem profunda, & vndique decliui planitie iacet, Velisco prominente, in cuius fodinis amœniora omnia sunt visu quàm in Bochniæ: nam vix vsquam periculosus, timidisque etiam & insuetis intus gradus est, & in latera abeuntes cuniculi ita panduntur, vt erectus queas incedere. Bochniæ in profundum omnia abeunt, altissimè subsidentibus fossis, graduque (insuetis præsertim) periculosissimo. Velisci qui demittuntur per primum puteum, vario ac perplexo cuniculorum ambitu, in antra non parum spatiosa ducuntur, quas cameras appellat Sarmatæ, è quarum lateribus ingentes micæ ferreis cuneis, malleisque caduntur. Vix autem fidem ceperit, quantum omnia salis politissima munditie resplendescant. Ac Velisci quidem quò magis in latera cuniculos adigunt, eò salem saliosem, mundiosemque deprehendunt, profunditate ferè sterili, aut micis certè ob intermixtam glaream impuris. Rarissimè verò in his puteis vsu venit, vt ligneis columnis aut tornicibus compaginatæ tellus, ne fidat opprimatiuè operarios, suspendatur. Solidæ sunt perinde effossis salis rupibus cryptæ: nec temerè vnquam inde periculum euenit, sicut nec vapor vsquam noxius, aut fumus pestilens strangulat. Fontales etiam venas Veliscenses fodinæ passim habent, cæterum modicè scaturientes, quas canalibus è cryptarum ambagibus, commodum in puteum corruatas, mox dolijs attollunt, coquantque, harenosi salis iniectis fragmentis. Velisci enim & Bochniæ, non tam fossitij salis, quam factitij copia est. Ille solidus è rupibus cæsus paulò est amarior recens, mox cum aère superno inuaditur extractus, dulcescit, fitque optimus. Hic paulò salior aqua & fragmentis extractis coquitur, grandi subiecto igne: velut in Germaniæ, Galliæque locis pluribus. Bochniani micas statim vt editæ sunt, probat, puræ sint nec ne, glariæ siue argillæ venis interturbatas, confestim in frustra vt coquantur, findentes. Puriores integras vendunt, non pondere, sed magnitudine tantum æstimata. Mirum autè adeo facile frangi salem, cum nostro ab aère humescere ceperit: rursus dum in cauernis est, leuiorem & duriusculum esse, extractum ingrauescere maximè. Aer autem in his fodinis ficcus, calidus, acutus, & perquam subtilis est, vt su-  
lent obam-



POLONIAE  
AMPLISSIMI  
REGNI TYPVS  
GEOGRAPHICVS

Scala miliarium Germanicorum

